VOTIVÆ ACCLAMATIONES

In Nuptias

Admodum Reverendi, Clarissimi atq; Doctissimi

VIRI,

DN. MICHAELIS RINGELTAUBII,

Ecclesiæ Thorun. in nova Civitate

Ecclesiastæ Dignissimi,

Cum

Ornatissimâ Pudicissimâq;

VIRGINE

BARBARA SCHIRMERIA,

D. XIV. Novembr. M DC XC.

solenniter celebratas,

scriptæ

à

Professoribus Gymnasii Thorun.

THORUNII,

Imprimebat JOHANN-BALTHASAR BRESLER.

NOn est, crede, bonum, ſine Conjuge vivere qvenqvam:
Fatur id ipſe Deus, Tu qvoqve, *Sponſe*, vides.
Auxilium Conjux præbet jucunda Marito,
Et recreat triſtem ſæpius illa Virum.
Hinc Tibi Conſortem multâ pietate coruſcam
Jungis, Virgineum Fœmineumqve Decus.
Qvæ Tua perficiet privata negotia, qvando
Incumbet rerum publica cura Tibi.
Gratulor ex animo Conatibus hisce, precorqve,
Hoc ut Conjugio ſit Tua fauſta Domus.
Ut poſt tot clades, tot funera mœſta Tuorum,
Jam tandem redeant ſecula læta Tibi!

Gratulab. ſcrib.
WENCESLAUS JOHANNIDES,
Gymn. Thor. PP.

VOta Tibi merito pia fundimus, Optime Sponſe,
Optima *divino cui contigit omine* Sponſa,
Parte ſui potiore nitens. Non mobilis audit,
Non levis, inconſtans, vaga, garrula, vana, bilingvis,
Dedita blanditiis, curandæ dedita formæ:
Qvæ glabret arte genas, & collocet arte capillos,
Arte regat greſſus, & lumina temperet arte,
Tota decus, tota ars, tota hiſtrio, tota venenum,
Qvæ nutu ſpeculi gerat omnia: labra movere
Norit; & inſpecto vultum componere vitro;
Norit blandiri, nolit ridere, jocari,
Incedens humeros norit vibrare natesqve.

NB.

Reliqua vid. post 2 fol.

Quæ prompte excuset ficta sua crimina voce;
Iræ odiiq; tenax, trux, thraxq;, bibaxq;, procaxq;.
Accendat rixas, fraudiq; accommodet ora,
Ora omnes facili casus imitantia motu:
Seminet in vulgus nugas, auditaq; lingva
Augeat, exq; humili tumulo producat Olympum.
Non poterat talis Tibi Sphinx, Draco, Scylla, Celæno,
Complacuisse, Sacro cui fervet Numine pectus.
Vera Tibi placuit pietas, devotio, candor,
Integritas, & cura domus sincera tuendæ:
Tales mentis opes, qvæ corporis anteferendæ
Fortunæq; opibus sunt omni jure. Beatum
Ergo Te merito, qvin terq; qvaterq; beatum
Dicimus, & devota damus Tibi vota precesq;!
Sancta Trias, cujus Sancta venerandus in Æde
Mysta cluis, Vos complures conservet in annos,
Tristitiam pellat talamo, tranqvillaq; donet
Tempora, pertæsi donec vitæq; dierumq;
Æterna cœli perclarescatis in arce.

Honoratissimo Sponsorum Pari
prosperrima qvæq; apprecatus
scr.
M. Johannes Sartorius, P.P.

DUm vos castus amor sociali compede vincit,
Conjugiumq; DEUS judicat esse ratum.
Non est, ut vestros qvisqvam reprehendat amores,
non est, ut solvat vincula vestra furor.
Sitis felices, concordi pectore firmi,
ac immortali prosperitate pares.

Paucis his versibus, sed prolixiore affectu
prosperrima qvæq; ominatur
M. MARTINUS Böhm/ P.P.

SI qvis adhuc dubitat fieri Connubia nutu
Numinis, expendat proxima facta DEI.
Fœmina donata est nuper generosa marito,
Urbe novâ, claro Consule digna viro.
Nunc vetus Urbs iterùm pia damna repensat amicæ
Urbi, dum placida est reddita Virgo Viro.
Quam non Majorum nummi censusq; superbus,
Verùm aluit pulchrum sedulitatis opus.
Et labor & curæ vigiles, probitasq; fidesq;
Ditabant, nullo crimine læsa fuit.
Nata pudicltia est secum, pietasq; Deorum
Deliciæ: hinc recipit præmia digna piis.
Ante diem svaves hortos curare solebat,
Rettulit & se iterum Sole cadente domum.
Sarcina magna viro est mulier, sed Syrmate longo
Conspicua & segnis, nota labore, decus.
Gratulor hanc Tibi, Sponse, tuam sine crimine Sponsam,
Ut vitâ notam sicq; labore suo.
Schirmerum (a) doctus Bocatius (b) esse beatum (c)
Optabat, voluit crescere prole patrem.
Sis pariter, vir care DEO, cum Conjuge lætus
Ducta, pro natis te tua Sponsa colat.

(*a*) Joh. Schirmerus Doct. Medic. fuit apud Cassovienses.
(*b*) M. Joh. Bocatius Poëta Laur. Cæs. Gymnasii Cassov. Rector.
(*c*) lib. 3. Hungaridos p. 312.

Viro Reverendo, Fautori suo honorando adj.

JOH. REZIK, Prof.

§ (o) §